

ECLOGA VI

uellit et admonuit: 'pastorem, Tityre, pinguis
pascere oportet ouis, deductum dicere carmen.' 5
nunc ego (namque super tibi erunt qui dicere laudes,
Vare, tuas cupiant et tristia condere bella)
agrestem tenui meditabor harundine Musam:
non iniussa cano. si quis tamen haec quoque, si quis
captus amore leget, te nostrae, Vare, myricae, 10
te nemus omne canet; nec Phoebo gratior ulla est
quam sibi quae Vari praescripsit pagina nomen.

Pergite, Pierides. Chromis et Mnasyllos in antro
Silenum pueri somno uidere iacentem,
inflatum hesterno uenas, ut semper, Iaccho; 15
serta procul tantum capiti delapsa iacebant
et grauis attrita pendebat cantharus ansa.
adgressi (nam saepe senex spe carminis ambo
luserat) iniciunt ipsis ex uincula sertis.
addit se sociam timidisque superuenit Aegle, 20
Aegle Naiadum pulcherrima, iamque uidenti
sanguineis frontem moris et tempora pingit.
ille dolum ridens 'quo uincula nectitis?' inquit;
'soluite me, pueri; satis est potuisse uideri.
carmina quae uultis cognoscite; carmina uobis, 25
huic aliud mercedis erit.' simul incipit ipse.
tum uero in numerum Faunosque ferasque uideres
ludere, tum rigidas motare cacumina quercus;
nec tantum Phoebo gaudet Parnasia rupes,
nec tantum Rhodope miratur et Ismarus Orphea. 30

Namque canebat uti magnum per inane coacta
semina terrarumque animaeque marisque fuissent
et liquidi simul ignis; ut his ex omnia primis,
omnia et ipse tener mundi concreuerit orbis;
tum durare solum et discludere Nerea ponto 35